I. N. I.

DIATRIBE MEDICA
exhibens

ÆGRUM MEMORIÆ DEBILITATE LABORANTEM,

Quam

SUB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANG WEDELII,

Medic. Doct. Comitis Palatini Cæsarei, Theoretices Professoris Ordinarii, Consiliarii ac Archiatri Ducalis Saxonici,

Præceptoris, Patroni ac Promotoris studiorum suorum venerandi,

In Auditorio Medico,
Horis consuetis,

publicæ disquisitioni Philiatrorum submittit

IOHANNES GEORGIUS MALEY
NIDERUUOLSTATT. UUETTERAUUS.

Ad diem Januar. Anno MDCXCVI.

JENÆ,
TYPIS IOHANNIS IACOBI KREBSII.



PRÆFAMEN.

Non ſine ratione *Tullius* memoriam rerum omnium theſaurum & partem animi, quæ cuſtos eſt coeterarum ingenii partium, appellat, adeoque veluti baſin & fundamentum omnis eloquii.

Absque hac ſi foret, nec cogitare poſſet homo, nec deliberare, qvid ex vſu ſit, maxime vero omnium ne loqui quidem, quo maxime differt à brutis.

Fluunt ideæ & undulant ex obiectis emanantes in cerebro, nec diffluunt tamen, mirando artificio organi. Siſtuntur velut in ſpeculo, neque obuiant tamen promiſcue; Latere videntur, aſt quando exigas, præſto ſunt, & ſiſtunt ſe priori vultu.

Nulli vero homini magis confert pars hæc prudentiæ, quam literatis, qui & ſubtilius verſant omnia, & circa eadem philoſophantur. Vtque maximum eſt memoriæ beneficium, ita & conſeruandum merito, eoque vtendum; ſin ſecus fiat, inſtar privilegiorum, non vtendo amittitur.

Cumque & vacillet non raro & euocari arte poſtulet, vel roborari & conſeruari quoque, non minimum confert ars ſeruandorum hominum. Quare & nos in præſenti caſu huius curam ſuſcipere voluimus, Deum O. M. precati, vt omnia feliciter eueniant.

HISTORIA.

Iuuenis viginti annorum, temperamenti frigidi & humidi, in cuius themate natalitio Mercurius in tauro læſus fuerat a Saturno, capitis magni, vini & cereuiſiæ lolio grauidæ potu ſæpius ad ebrietatem delectatus, cæparum alliique eſui adſuetus, ſomno perquam indulgens, venere item laſciuiori vtens; Cum olim ab alto in caput procidiſſet, poſtmodum ſtudiis operam nauaſſet, denegatam ſibi memorandi promptitudinem aſſiduitate ſtudiorum nimia compenſare voluit, ſed parum adhuc profecit. Prompte quidem ſic ſatis addiſcit propoſita, ſed facillime iterum obliuiſcitur: ſenſus pigros habet, nihil altum ac ſublime ſpirat, catarrhis ſæpius torquetur, capilli plani, albicantes ſunt, tinnitus aurium per vices affligit. Petit Conſilium.

RESOLVTIO.

Plura ſunt ſymptomata, quæ combinata ægrum vexant, v. g. memoriæ debilitas ſeu imminutio, catarrhi, tinnitus aurium. Catarrhi ad excretorum claſſem ſpectant, tinnitus aurium ad qualitatem mutatam pertinet, memoria imminuta, potisſimam abſoluens paginam, in læſa actione facultatis animalis, quoad idearum conditorium & cælaturam quaſi, conſiſtit.

Eſt itaque ſymptoma actionum læſarum non abolitarum, non enim ceu lethæo poculo hauſto omnium ignarus eſt; nec deprauatarum,

tarum, memoria enim deprauari nequit, ſed imminutarum, quia eo modo, vt naturaliter requirebatur, obiecta haud apprehendit. Dicitur alias maiori gradu *obliuio*, ab oblinendo, quod in cerebro diſſitæ imagines non firmiter infiguntur, ſed oblinuntur & obliterantur rurſus.

Adeſſe vero hanc memoriæ imbecillitatem, non opus eſt, vt e conſuetis ſignorum fontibus eruamus, cum ipſe ægrotus id patefaciat, conquerens, ſe parum, tarde, & difficulter, meminiſſe præteritorum, & obiecta licet initio apprehendat opinione ſua feliciter, ſtatim tamen eadem excidere.

SVBIECTVM ADÆQUATVM eſt caput, functionum animalium promus condus, ſenſuumque miniſtrantium fons, quippe nihil eſt in intellectu vel memoria, quod non antea fuerit in ſenſu, vel phantaſia. PRINCIPALE quodnam ſit, disquiſitionem meretur. Arabes enim præcipue & alii veteres, quibus & recentiores nonnulli adſtipulantur, certis ſedibus facultates in cerebro discriminant. Phantaſiam ſeu imaginationem in fronte vel ſyncipite locant: iudicium medio loco circa temporum clima ponunt: memoriam vero in occipitio, ſeu parte cerebri poſtica. Ratio adiungitur hæc, non quaſi hæ facultates ita incluſæ ſint ſedibus, vt non toti cerebro omnes inſint, ſed quia poſterior cerebri pars durior ſit, proinde aptior memoriæ, cuius officium eſt retinere, iam vero diutius retineri, quæ inſcripta ſunt rebus duriusculis. Anticam vero partem molliorem conuenire magis phantaſiæ, mediam mediocris conſiſtentiæ ſenſui communi, vel ipſi intellectui. Deinde manifeſto argumento illud euincere conantur, quod eo in loco percuſſos omnium rerum cepit obliuio. Nos tamen cum ſpirituum merito potiſſimum exerceatur memoria, hi vero in tota cerebri capacitate reſideant, cerebrum totum pro ſubiecto primario habemus.

Hoc cum duplici modo affici poſſit, vel ἰδιοπαθικῶς, vel συμπαθικῶς, videtur in noſtro caſu priori modo pati, per γένεσιν καὶ διάθεσιν peculiarem, recipiendis ſpeciebus minus ido-

neam. Neque enim adeſt affectus, quem conſequi queat ſymptoma hocce.

CAVSA IMMEDIATA eſt ſpirituum animalium ſeu penuria quædam, ſeu mala diſpoſitio, eaque ſpecifica, quoad idearum ex obiectis obuerſantibus occurrentium faciliorem obliterationem, ſeu denegatam receptionem magis radicatam. Cum enim in ſtatu ſecundum naturam portitores hi omnia exequantur, quæcunque rationis imperium in ipſos ſtatuit, vtique & præter naturam, ſi non omnia fiant debite, in culpa erunt. Apti enim nati ſunt, vt inter alia munia idearum reliquias asſeruent, neque, quod in prouerbio eſt, velut aquæ inſcribantur vel cineribus eædem, etiam ſacris teſtibus *Hiob. 13. v. 12.* ſed remaneant picturæ & ſimulacra, alluuione quadam affixæ crebriori, ruminatione digeſtæ, & velut in loculos repoſitæ.

CAVSA MEDIATA PROXIMIOR, καὶ οὐσίαν ſpectata, ſunt humores PITVITOSI excrementitii in cerebro collecti, ſpiritusque animales obtundentes, ſeu lymphæ vehiculum minus pellucidum, ſpeculare, ſi ita loqui licet, & mobile, ſed in reuoluendo occupatis ob lentorem quendam minus velificans.

Helmontius cum a liene deducat ideas cerebri, forſan archeum ſplenis, vel acorem corruptum accuſabit. Iuxta *Carteſium* figuræ exorbitantes in poris medulloſis cerebri vitium patiuntur, ſicuti hanc præ alia figuram receptiuitati commodam magis videmus. κατὰ τὴν τῆς οὐσίας διάθεσιν ſeu *modum eſſendi* conſiderata *pituita*, ratione *quantitatis* copioſa eſt. Cerebrum quidem per ſe reſpectiue frigidiori & humidiori gaudet temperamento; illud tamen tale ſolum eſt, vt ſpiritus vitales attemperet. Quando vero recedit hoc a ſtatu naturali, & glaciali quaſi viſco ſopiuntur ſpiritus, ne vegeti opus ſuum exerceant, neceſſe eſt & memoriam labaſci. Obrutum mole hac cerebrum ſeu oppletum teſtantur catarrhi, confirmat tinnitus aurium, ſomnolentia & alia.

Qualitate delinquit actiua frigida. Frigida capiti ſunt inimica. Frigida ignem animalem ſpirituum conturbant. Pasſiua humiditas obliuionis eſt mater, veluti contra ea in ſicco

habi-

habitare memoria ſtatuitur. In humido cerebro multi ſpiritus commeantes ſe tanquam circuli in aqua ſecant, uti loquitur *Scaliger Exercit. 307. t. 28.* Mollities hinc orta nimia diffluere facit ſpiritus, fluxamquē præbet memoriam.

Quoad *motum generationis*, generata fuit pituita ab intemperie cerebri frigida per συναθροισμὸν *collectionem*, motum puta minus vegetum, per poros debitos eluctantem, & στάσιν *ſedem* firmam elegit ſibi.

Mala conformatio & *naturalis*, de qua iam, & *aſcititia*, a caſu ab alto & colliſione capitis confudit ſpiritus, poros obſtruxit, ſaltim ut minus diducti ſint tubuli radiantes lucidi, & totam œconomiam cerebri turbauit. Errores externi in rebus non naturalibus longum his ſubminiſtrarunt fomitem. Nullum eſt dubium, quin ventriculus male ab ingurgitatione potus habitus materiam etiam huc amandet.

Cauſæ MEDIATÆ REMOTIORES ἀφορμὴν præbentes variæ ſe ſiſtunt. Inter NATVRALES emicat TEMPERAMENTVM frigidum & humidum. Frigiditas condenſat, & partem ineptam reddit ad receptionem phantasmatum. Humiditas ut facilem receptionem, ita facilem amiſſionem confert.

CAPVT MAGNVM & cerebri nimis magnam molem memoriam debilem dare, experientia teſtatur. In capite quippe nimis magno diſſipati ſunt ſpiritus animales, nec tam prompti ad actiones.

Ex NON NATVRALIBVS AER, ſiderum influxu alteratus, concurrit. Spirituum diſpoſitor ☿ius in ♉ (in quo ſigno maxime iuxta Aſtrologos affligitur) a Saturno frigido Planeta læſus memoriam debilem præſtat.

Vini & cereuiſiæ ad ebrietatem POTVS, voluntaria inſania, vt a beſtiis nihil differre facit hominem, ita & brutum ingenium fœnerat. Ebrietas unius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat. Præmium ſummum, *Plinio* dictatore *l. 14. c. 22.* ebrietatis rerum omnium obliuio morsque memoriæ. Conſuetudine enim inſaniæ durata vitia, vino concepta, etiam ſine illo valent.

Lolium narcotica ſua vi accedens duplici incommodo mactat cerebrum, caput dolore & labore perfundit, ſenſusque omnes obnubilat. *Caparum alliique* eſus crebrior crudis vaporibus arcem intellectus replet, halituque fœdo ſpiritus inficit.

SOMNI indulgentia torpidos reddit & inutiles meditationibus animos. Somnus multus, *Platone l. 7. de leg.* teſte, neque corporibus neque animis noſtris, ſed nec actionibus vtrorumque conuenit per naturam. Nam qui dormit, nullius pretii reique eſt, haud magis quam ſi non viuat.

Quid de VENERE dicemus? O peſtem ingenii! O venenum memoriæ! Effœminatur inde corpus, & quod reliquum ſupereſt de igniculo Promethei ſuffocatur & eripitur. Hæc a *Marſilio Ficino* inter præcipuos ſtudioſorum hoſtes numeratur.

Ad *aſſiduitatem ſtudiorum* ſe cogens æger tantum abeſt vt memoriam adauxerit, vt potius maiorem labem ſibi conciliauerit. Verum eſt, ignauia, quando memoria exercetur remisſius quam par eſt, non ſecus ac ſcintillas ſub cineribus, niſi quis eas ventilet, calorem natiuum ſuffocari. At pariter nimium & intempeſtiuum præpoſtera ingenii occupatione nocet ſtudium. Arcus nimium intenſus rumpitur, ait *Seneca*, nimis laxus telum non vibrat; ita & memoria ſe habet, quale exemplum præter alia obſeruata iamdudum notauit *Galenus l. 3. de loc. affect. c. 5.* Disiuncti hoc modo fuerunt actus intellectus per nimium negotioſos labores.

PRÆTERNATVRALITER caſus ab alto valde concutiens cerebrum, non aliter ac per terræ motum integra ædificia ſternuntur humi, disſipauit ſpiritus, materia repleuit caput, vnionem ſoluit, poros inuicem colliſit, vti cerebrum ex præalto tecto lapſo concuſſum in quodam propriæ matris & conſanguineorum attulit obliuionem, annotante *Plinio l. 7. N. H. c. 24.*

Ab his cauſis generatus affectus ſequentibus ſtipatur φαινομένοις, quorum iam ratio reddenda venit.

I. *Prompte quidem ſic ſatis addiſcit propoſita, ſed facillime iterum obliuiſcitur*, quia quæ humida ſunt, facile patiuntur

tur ſibi imprimi lituram, ſed quæ iterum ocyus obliteratur. Eadem mechanica hinc concipi poteſt quoque, hos tales, ob humidi quod habent copiam, habere fluidam cerebri ſubſtantiam, ac minime quaſi conſiſtentem; cuius ratione figuræ impreſſæ facile ipſis effluunt, quemadmodum & ei contingit, vt diximus, qui in aqua ſigni aliquid imprimere velit.

2. *Senſus pigros habet, nihil altum ac ſublime ſpirat*, ob ignem animalem debilem, ac ſpiritus quantitate deficientes, diſperſos & interruptos, vti videmus leues hinc inde disiunctas ſcintillas non faſtigiatas in pyramidem cœlum affectare.

3. *Catarrhis ſæpius torquetur*, ab excrementorum enim copia elater cerebri ad ea, quæ ſibi moleſta ſunt, expellendum irritatur.

4. *Capilli plani, albicantes ſunt*, ob abundantiam lymphæ prædominantis, & calorem debiliorem.

5. *Tinnitus aurium per vices affligit.* Ab humoribus enim frigidis debilitato calore, ex minera quaſi quadam conſurgunt flatus, qui remiſſi humoribus & ſpiritibus aurium tympanum curſu interrupto & inæquali pulſando, ſonum citantes intra aures ſe produnt.

Circa ΠΡΟΛΕΞΙΝ, de euentu quidnam ſperandum, iam dicendum venit. Lethale malum eſſe per ſe obliuionem nemo facile dixerit, ex accidenti tamen, ſuperueniente v. g. apoplexia ad mortem tendere poteſt. Vires in noſtro ægro fortes, ætas iuuenilis & alia bene ominari iubent. Curabile malum præſagimus, modo recte ſe gerat ægrotus, cum in frigida & humida intemperie, memoriam debilem cauſante, maxime remediorum occaſio verſetur.

De LONGITVDINE tamen eſt quod metuamus. Non unius diei labor erit, irrequieta & aſſidua medicamentorum opus eſt machina, victu quoque commodo accedente. MODVM EVENTVS deſignamus frigidæ temperaturæ, ſpirituumque diſpoſitionis p. n. omnis, correctionem, roborato calore tentandam & perficiendam.

CVRATIO absoluetur METHODO MEDENDI, & exinde depromptis indicationibus vsitatis, quibus satisfit e triplici noto fonte.

INDICATIO CVRATORIA rem p. n. auferendam iubet, adeoque respicit intemperiem cerebri frigidam & humidam, spirituum conditorio intimiori contrariam, alterandam, iuxta gradus declinationis a statu naturali. PRÆSERVATORIA, caussis debita, euacuantibus phlegmagogis, cacochymiam auferentibus, fomitem vndiquaque tollendum innuit. VITALIS spirituum & virium rationem habet instaurantibus, serenantibus & roborantibus.

Ex CHIRVRGIA itaque an depromi debeat venæsectio, dubitari potest. Spiritus nostro ægro copiosi desunt, intemperies frigida & humida adest, vno verbo plethora abest, & magnus morbus non vrget. Consultius itaque ab ea abstinebimus, nisi forte ob ingluuiem molem sanguinis vitiosis succis adauctam instante vere ad vnam alteramque vnciam deplere sit animus. Tunc temporis enim, cum microcosmus cum macrocosmo innouari totus videatur, aptissima erit occasio, subeundi medicinarum consilium.

CVCVRBITVLÆ scarificatæ ex venis & arteriis sanguinem simul euacuando commodius in vsum trahi queunt, quamuis vulgo, vltra quam par est, & huic præsidio soleant indulgere.

VESICANTIA & FONTICVLI, vt attenuatis & allectis humoribus exitus adparetur, pro re nata, commode instítui queunt. Apponantur pone aures Cantharides sequenti modo impastatæ:

℞ *gumm. *ci* ℥ß. *canthar. ppt.* ʒij.
sem. amm. ℈ß. ℴ *euphorb. cer. & tereb.* q. s. M. F. Magdaleon.

Insensibiliter vacuantes materiæ chirurgicæ mirum quantum roboris addunt, vigoremque seruant memoriæ, v. g. FRICTIONES, & maxime PECTINATIONES. Per has enim pori capitis aperiuntur, transpiratu vapido collectæ sordes tenuiores ad superiora alliciuntur ac dissipantur, spiritus temperan-

tur subtilioresque fiunt. Pectinatio seorsim hoc modo sensuum instrumenta & corporis reliqui corroborat, visionem acuit, & cogitationem reddit meliorem, adeoque ob id ipsum cordi habenda est, sine & cum pulueribus cypriis instituenda. Hinc memoriam vegetari & conseruari non incongrue statuitur, si & pectinationibus & lotionibus matutinis assidue excitetur virtus vitalis, & recrementa halituosa separentur.

E PHARMACIA mutuabimur validiora in auxilium remedia, quibus & desperatam humorum pertinaciam infringere, & præsidium cerebro mittere poterimus. LENIATVR aluus leuiter stimulantibus & laxantibus, non fastiditis clysteribus, quos *Sennertus in Pract. med. l. 1. p. 1. c. 5.* in morbis capitis omittendos nunquam recte iudicat.

Initio itaque veris lenientium horum vsum auspicato celebrare potest; v. g. assumat per triduum Electuarium:

℞ *elect. lenit. diacartham.* a. ℥ß.
fecul. pæon. ℈ß. *sirup. cinam.* q. s. M. F. l. a. Bolus.
D. in chart. S. Lindbißlein.

℞ *rad. cichor.* ℥ß. *herb. meliss.* mß. *fol. sen. s. s.* ʒiij.
agar. albiss. mechoac. alb. a. ʒj.
fl. stœch. arab. anth. a. pij. *cardam. cubeb.* a. ʒß.
Inf. in s. q. ▽ *meliss.* & *salv.* per ℘.
Colat. ℥vj. add. *sirup. pæon. meliss.* a. ʒiij.
M. S. Lindtränckhlein.

Si clyster præscribendus fuerit, potest esse talis:

℞. *rad. pæon. helen. alth.* a. ℥ß. *herb. beton. salu. malu. alth.* a. mj.
fl. lauendul. chamomill. Roman. sambuc. a. pij.
sem. anis. fœnicul. cartham. a. ʒj. Coq. in s. q. ▽ *s.*
Colat. ℞. ℔j. *elect. hier. Logad.* ☍ *rut.* a. ℥ß.
succ. mercurial. ʒiij. ⊖ *gemm.* ℈j. *vitell. ou.* nj.
M. F. l. a. Clyster.

Lenitis hoc modo viis cacochymia pituitosa, & capiti molestæ & massæ sanguineæ domestica, præparetur ad euacuationem debitam, si ea opus fuerit.

℞. ▽ *salu. lauend.* a. ℥j. *oxymel. squill.* ℥ß.
sirup. de stoechad. ʒij. *elix. cephal.* ℈j.
ol. ceph. gtt. vj. M.F. haustus. S. Hauptträncklein.

℞. *rad. trifol. fibr. paeon.* a. ℥ß. *galang. min.* ʒiij.
fol. meliss. mj. *salu. beton. hyssop.* a. mß.
fl. anth. lauend. a. pij. *cubebar. cardam.* a. ʒj.
lign. sassafr. aloes, cinamom. a. ʒß.
Coq. in vin. & aq. part. anatic. q. s. in MB.

℞. Colat. ℔j. *lil. conuall. meliss.* a. ʒj.
sirup. gran. kerm. paeon. a. ℥ß.
aromatis. *spec. diambr.* ʒß. S. Alterirender Haupttranck.

℞. Rae ♂is *helleb.* ʒß ⊖ ✱ ʒj. M. D. in vitro S.
Blutreinigende Tinctur.

PVRGANTIA proprie dicta quod praeparatum est educunt, debito cum regimine administranda.

℞. MP. *de hier. c. agar. extr. agar.* a. ℈ß.
trochisc. alhand. g iij. *resin. gialap.* g. iv.
l. sassafr. gtt. j. M. F. *c. elix. ceph.* l. a. Pilulae inaur. S. Purgierpillen.

℞. *extr. cathol. Andernac.* MP. *coch.* a. g. IIX.
scamm. ♀*rat.* ☿*ii dulc.* a. g iv. M. F. *c. ess. succin.* l. a. Pilulae. S. u. s.

SVDORIFERA & DIAPHORETICA, cerebro molestam exhaurientia humiditatem, siccitatemque moderatam conferentia, non omittenda.

℞. *C. C. philos. ppt. bezoard.* ☽*ar.* a. ℈ß.
⊖ *viper. rectif.* gr. iij. *ambr.* gr. ij.
elaeosacch. citr. aether. gr. v. M. F. pulu.
S. zertheilend Hauptpulverlein.

℞. *us C. C. succinat. M. S. alb. rectif.* a. ʒj.
elix. cephal. ℈j. M. S. Schweißwässerlein.

DIVRETICA demum, si, teste *Helmontio*, obesitatem abigere possunt, multo magis frigidos & humidos excrementitios succos alterando, fundendo & liquando expurgabunt, non aliter ac gutturnio elicita aqua ad ima a superis partibus inuitatur.

℞. ♀ri

℞. ♀ri ⊖lat ☽ar. *succin. alb. ppt.* a. ℈ß.
magist. lap. ♋. *sem. lycopod.* a. g. vj. M.

℞. *essent.* ♂ii ♀ris. ʒij. ⚇ *cubeb. citr. ver.* a. gtt. iij.
M. D. in vitr. S. Resolvir/ und Stärck/Essentz.

APOPHLEGMATISMI in specie caput dephlegmant, studiose quoque frequentandi. Vtut vero non de nihilo sit hanc in rem *apophlegmatismus Laurembergii* ex *nicotiana*, accessione *radicis pyrethri*, *mastiches*, *zinziberis*; cum melle in globulos redacta, qui detenti in ore pituitam detrahunt; videntur tamen alii commodiores, ex *mastiche*, *caryophyllis*, *cubebis*, *cardamomo*, *ambra*, *terra Iaponica* &c. parati. Hi enim & ore versari, cum lymphæ salivalis prolectione e suis canaliculis, possunt commode, & deglutiri omnino, roborantes simul.

STERNVTATORIA, vel ERRHINA potius, ex *fl. lil. conval. nicotiana* correcta & præparata, cum *ambra*, ⚇ *maioran. melissæ* veris, aliisque, frigidos humores evocare & caput roborare apta nata sunt. Tacemus GARGARISMATA e calidioribus paulo præparata ipsa.

ALTERANTIA & ROBORANTIA specifica, mirificæ in lymphæ coagula & torporem spirituum animositatis, interne & externe nondum adultum satis ingenii robur firmabunt.

Drexelius part. 1. c. 5. Aurifodin. meminit, Delrium singulis diebus mane intinctum vino panem modice sumpsisse, & hinc memoria divina præditum. Si idem observaverit loco ebriosæ vini insaniæ æger, spes est, quod antea corrupit vinum, ita leporem additurum.

℞. *elix. cephal. c.* ∾*u melis. parat.* ʒiij.
ess. ambr. ℈iß. *cardamom.* ʒj. D. ad vitr. S.
Stärckende Hauptmixtur.

℞. ▽ *Sophor. Dorncrell.* ℥vj. ∾ *magnan. comp. Lauremb.* ℥ß. *ess. meliss. anthos* a. ʒj.
sirup. de beton. gr. kerm. a. ʒ ij.
M. S. Stärckwasser/ein Löffel voll auf einmahl.

℞ *ess. ligni al. elix. cephal. Mich.* a. ʒij.
☍ *mac.* gtt. ij. M. D. in vitr.

℞ *~ formit. comp.* ʒiij. ⊕*l. ceph.* ʒj.
essent. succin. ambrat. ʒß. M. D. in vitr. S. u. s.

Spiritus magnanimitatis comp. *Laurembergii* hic est: ℞ *herb. basil. maior. salv. meliss. puleg.* a. mß. *fl. borag. salv. prim. ver. rosmar. lil. conuall.* a. pj. Macerentur in 🜄i maluat. ℞ huius 🜄i partem, & in vitrum inde, quod in nidum formicarum pone, vt irrepant collecti odore manipuli IV. vel V. quas bacillo ligneo commoue, vt omnes suffocentur. Affunde partem reliquam 🜄i, & expone ad digestionem in sole per XIV. dies, hinc ♌lentur, & add. *confect. anacard cinam.* a. ℥j. *croc.* ℈ß. *mosch.* gr. xij. quibus omnibus mistis perfectus est ~us magnanimitatis. De hoc cochl. j. ieiuno stomacho in bono haustu vini assumatur, & aliquoties repetatur, interpositis aliquot diebus.

℞ *cons. flor. lauend. salu. meliss. anth.* a. ℥ß.
specier. diambr. diamosch. d. a. ʒj.
confect. alkerm. ʒij. *margarit. ppt.* ℈j.
smaragd. ppt. ʒß. *ambr. grys.* ℈ß. *mosch.* gr. iij.
~us rosar. lil. conuall. a. ℈j.
sir. condit. cort. citr. q. s. M. D. in pyx. S. köstliche Stärck-Lattwerg.

Cumque decantatissima sit ad memoriam augendam *confectio anacardina*, ita vt confectio Sophorum intituletur, operæ pretium est, quid de ea sentiamus, ægro exponere. Obiicitur caliditas nimia anacardiorum, quod sanguinem adurant, & siccis illis vtantur Indi loco caustici aut ruptorii contra strumas, ab eius vsu hunc maniacum factum, alterum continua siti misere periisse, vnde a *Casp. Hoffmanno* confectio potius stultorum appellatur.

Ast apud nos tanta non est anacardiorum caliditas, nec abusus tollit vsum. Negari nequit, esse remedium, vt recte notant Augustani, frigidis & humidis cerebri affectibus dicatum, modo recte vtentem inueniat, bene gnarum suæ tempe-

riei cerebralis, nec excedentem. Præstat reformata vti, & per se & cum aliis mixta. Gaudet memoria siccitate, sed nimia identidem perditur.

℞ *spec. diamarg. cal. diaxyloal.* a. ʒj.
extr. agalloch. ℈j. *confect. alkerm.* ℈ij.
thur. cubeb. a. ʒß. *ambr. gryf.* ℈ß.
☍ *cinam.* gtt. iij. *sacch. in* ▽ *meliss.* q. s. sol.
℥iv. M. F. l. a. Rotulæ.

Tacemus vinum medicatum ex supra dictis sub præparantibus speciebus, vel aliis, cerebrum calore suo irradiare, tragemata item varia roborantia, & alia. Cætera enim, quæ vel ex muneribus trium magorum a *Marsilio Ficino*, vel ex aliis pro arcanis æstimantur & vulgo dilaudantur, promissionibus quidem magnificis, effectibus vero aliquando nullis, aliquando valde exiguis pollent. Quorsum & cor mustelæ aliorumque a *Cornel. Agrippa l.1.c.21. l. de occult. philos.* commendatum referri meretur.

EXTERNA his succenturiantur, bregmati, qui locus magis perspirabilis est, circa tempora, & naribus applicata. Excellunt inter hæc ex *lauendula* ac *spica nardi* parata, essentia v. g. florum horum vertici applicata, quod non sine emolumento fieri potest, citra metum alicuius noxæ, semel vel bis per hebdomadem. Oleum quoque eiusdem verum & balsamum laudari merentur.

Lotiones capitis minus quidem fauent memoriæ robori, inprimis crebriores, cum via sicca in eruditis magis repurgari gestiant capilli, interim tamen & alterata cephalicis plantis lixiuia adhiberi possunt.

℞ *herb. maior. meliss. origan. pol. mont. fol. laur.*
a. mj.
fl. lauend. lil. conuall. stoechad arab. a. pij.
Concis. gr. m. leniter ebulliant cum ▽ s. add. *vin.* ℔j.
Abluatur caput, & interpositis aliquot diebus repetatur.

Lixinium etiam *sapientiæ Myns.* item Philippo Melanchthoni tributum magnopere commendatur, si moderato adhibeatur vsu.

℞. *fl.*

℞. *fl. spic. celt. lauend. ros. rosmar. rad. irid. Fl.* a. q. s.

Concisa & sacculo lineo inclusa in lixiuio per vnam vel alteram horam ante lotionem capitis infundantur.

Balsamum *mnemocephalicum* a *Schroedero* descriptum *Pharmacop. libr. 2. c. 41 pag. 177.* tantæ efficaciæ esse scribitur, vt perpetuam rerum memoriam pariat. *Fel perdicis* semel in mense temporibus inunctum pro arcano habetur quibusdam. *Rhases* & alii linguam vpupæ gestatam pro amuleto commendant, quod obliuionem tollere credunt. Ast nec ratio, nec experientia succinunt, vnde illis non inhærebimus.

Odorata, cum immediatum cum spiritibus habeant contactum, sedulo externe inspirentur.

℞ *storac. calamit. expr.* ℥ß. *agalloch.* ʒß.
mosch. ambr. a. gr. vj. *benzoes* ʒj.
☍ *cinam. lauendul.* a. gtt. ij. *bals. Peruu.* q. s.

M. F. globul. inuoluantur bombaci, & thecis argenteis perforatis habeantur ad manus. Reliqui ad eosdem vsus vel ad suffimentum parandum adseruentur.

Cucupha roborans, e speciebus cephalicis apparata, gestari potest:

℞ *herb. lauend. meliss. mari ver. basilic.* a. ʒij.
fl. rosar. rubr. spic. nard. til. a. pij.
rad. ir. Flor. lign. rhod. agalloch. a. ʒj.
benz. succin. alb. opobals. thymiam. a. ʒß.
mosch. gr. iij. ☍ *ros.* gtt. ij. M. cum sind. rubr.
Fiat l. a. cucupha.

His obseruatis restat DIÆTA, seu ipsius ægri regimen. Si enim morbum profligi velit æger, vtique medico consentire & contra morbum stare debet.

Non erit de nihilo, diætæ præcepta quædam generalia prætexere, multum custodem & thesaurum rerum memoriam adiutura. Primum obseruet æger, *vt multum non multa legat.* Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus e-

mitti-

mittitur, seu non qui ingeritur, sed qui concoquitur; ita animum nutriunt, & , vt *Plato* loquitur, scientiis grauidum faciunt, non illa quæ quis legerit, sed quæ quis diligenti meditatione in succum & sanguinem verterit. Hoc autem non fit confertim & subito, sed sensim & cum aliqua mora.

Qui simul omnia volunt & affectant, pulcherrime a *Polybio* gulosis & imminentibus conuiuarum comparantur. Nam & illi omnia quæ apposita sunt gustantes, neque in præsentia vere fruuntur vllo ciborum, neque in posterum digerunt satis, aut vtiliter iis nutriuntur.

Sæpe recordari, medicamine fortius omni.

Deinde non terreat eundem obliuiosum ingenium, non desperet nec dubitet progredi, sed ordine conciso, quæ memoranda sunt, legat, lecta repetat, repetita recordetur, & quæ recordatus est intime sibi imprimat. Multa sunt, in quibus pertinacia impedimentum omne transcendit, ostenditque nihil esse difficile, cuius sibi ipsa mens patientiam indicit. Non vero anxio studio nimiam præuertat moram, sed pedetentim & gradatim progrediatur, in ipso otio negotiosus, & in negotio otiosus. Ordine nihil ad studia proficuum magis, nihil confusione exitiosius.

Varietatem iucundam non damnamus, sed inordinatum & præposterum studium. Vanissimum prouerbium esse putes, (ait *Besold. in append. axiom. polit.*) in omnibus aliquid, & de toto nihil: nam qui non est in omnibus aliquid, in singulis est nihil. In omnibus valet *Pergameni* assertio, memoriam rerum, quæ sensibus nostris patent, assiduam requirere consuetudinem.

Tandem quauis peste peiorem, seu cane peius & angue deuitet φιλαυτίαν. Quo die enim sibi quis incepit persuadere, se eruditum esse, eo die incipiat desperare, se eruditum vnquam fore. Nosse morbum & hoc loco pars curationis fuerit.

IN DIÆTA VITALI CIBVS quantitate continua & discreta, prægressa leui exercitatione, non peccet excessu vel

Wann mit Herrn Wedels Lehr der Fleiß vereinigt ist/
So kan man anders nichts als solche Früchte sehen/
Dern' sich Hygine freut/und auch wohl möcht geschehen/
Daß Sie in kurtzer Zeit Ihn selbst als Doctor küst.

Dieses setzet und wündschet aus Obliegenheit
JOH. JUSTUS Braun/ Moeno-Francof.
J. V. Stud.

Dum doctè exponis nigrantia flumina Lethes,
Auguror, à doctis candida signa feres.
Efficiet Numen, cui sunt Tua studia grata,
Vt semper crescat laus Tibi, fama, decus.

Nobilissimo DN. CANDIDATO, Fautori atque Amico suo æstumatissimo, gratulabundus adposuit
JOH. GEORG. Heintzenberg/ Grünstad. Palat.

Te non incassum tempus trivisse, peritum
Approbat hoc specimen, *dulcis Amice*, tuum.
Sic pergas, omnino mori Te Musa vetabit,
Et Te perpetuus condecorabit honos.

Clarissimo DN. RESPONDENTI, Amico & Contubernali suavissimo, cum voto scribebat
G. L. Schröder/ LL. Stud. Using. Nass.

Dogmata Pæoniæ Te promta mente notasse
Artis, testatur pagina, AMICE, Tua.
Tum Tibi, tum Patriæ, tum docto proderis orbi,
Si, quo cœpisti, pergere more lubet.

Ita Nobilissimo DN. RESPONDENTI, Amico & Conterráneo suo æstumatissimo, applaudere volui
PHIL. GEORG. Huth/ Med. Stud.

o